

www.e-rara.ch

**Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Cardinalis Solida Christianæ Fidei
Demonstratio**

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo

Antverpiæ, M. DC. XI.

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149054>

Caput V. De causa efficiente sacramentorum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

fit declarare in Baptismo, & Confirmatione. Rurfus; Necessitas mediij, aut fit necessitas simpliciter, quomodo alæ necessariae sunt ad volandum; aut ad bene esse, quomodò equus necessarius est ad iter faciendum.

Denique; Vtraque necessitas, aut est absoluta, & naturalis, vt in exemplis positis; aut ex institutione, & arbitratu alterius; quomodò attingere metam est necessarium medium ad brauium; aut est partim ex institutione, partim ex naturali congruentia; vt, cùm Imperator concedit militibus urbem aliquam diripiendam, si eam ceperint.

- Propositio 1.* Prima ergo sit propositio: *Nulla Sacramenta habent absolutam necessitatem; sed omnis eorum necessitas pendet ex præcepto, & institutione diuina adiuncta naturali congruitate.*
- Propositio 2.* Secunda Propositio: *Omnia Sacramenta necessaria sunt necessitate præcepti, licet non singulis.*
- Propositio 3.* Tertia Propositio: *Baptismus, & Pœnitentia necessaria sunt posita institutione diuina necessitate mediij simpliciter; Baptismus quidem omnibus; Pœnitentia ijs, qui post Baptismum lethaliter delinquent.*
- Propositio 4.* Quarta Propositio: *Eucharistia, Confirmatio, Extrema vnctio necessaria sunt necessitate mediij ad bene esse, posita diuina institutione.*
- Propositio 5.* Quinta Propositio: *Ordo necessarius est non singulis hominibus, sed ipsi Ecclesie in vniuersum necessitate mediij simpliciter, posita diuina institutione.*
- Propositio 6.* Sexta Propositio: *Matrimonium necessarium est ad bene esse, non singulis hominibus, sed Ecclesie in vniuersum.*

C A P V T V.

De causa efficiente Sacramentorum.

Causa efficiens triplex. **T**RIPLEX causa efficiens à Theologis consideratur in sacramentis. Vna principalis, & omnino independens; in qua dicunt esse potestatem auctoritatis. Altera instrumentalis, sed instrumenti coniuncti, in qua dicunt esse potestatem excellentiæ. Tertia instrumentalis, sed instrumenti separati, in qua dicunt esse potestatem ministerialem.

Prima causa omnium consensu est Deus: ipse enim solus ex auctoritate gratiam dare potest, & proinde Sacramenta instituere, quæ gratiâ efficiunt, aut etiam infallibiliter significant. Secunda causa est Christus, vt homo: Christi enim humanitas est instrumentum coniunctum diuinitati Hypostaticè; & ideo Christo, vt homini, tribuitur quædam potestas ministerialis quidem, quia deriuata est à diuinitate; tamen excellentiæ potestas dicitur, quia soli Christo conuenit. Tertia causa est quilibet alius minister Sacramentorum.

*Quæst. 1.
Sess. 7.
Cap. 1.*

Prima ergo quæstio est: *An auctor Sacramentorum nouæ legis sit solus Christus?*
De hac Concilium Tridentinum: *Siquis dixerit Sacramenta nouæ legis non esse omnia*

nia à Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit. Quod non debet ita intelligi, quasi Concilium velit Sacramenta instituta esse à Christo immediatè, vel mediatè; sed solùm immediatè: nam alioqui Concilium frustra Canonem illum posuisset, cùm nemo vnquam dubitauerit, quin saltem mediatè Sacramenta à Deo sint instituta. Præterea; Idem Concilium agens de Sacramento Vnctionis extremæ seipsum explicat, cùm ait Sacramentum illud ab ipso Christo institutum fuisse, sed à B. Iacobo Apostolo promulgatum. Denique; Si tantum mediatè Christus Sacramenta instituisset, idem dici posset de Sacramentis, & de alijs omnibus cæremonijs Ecclesiasticis: omnes enim sunt à Christo mediatè institutæ, quia nimirum dedit Ecclesiæ potestatem instituendi; & inspirauit, vt institueret; & astitit, ne erraret in instituendo: & tamen non eodem modo Concilium idem loquitur de Sacramentis, & de alijs cæremonijs. Nam dicit Ecclesiam habere potestatem mutandi, & instituendi circa Sacramenta, salua tamen eorum substantia.

Et confirmatur sententia Concilij his rationibus. Primò; In Scripturis Apostoli non vocantur, nisi dispensatores, & ministri mysteriorum Dei: vt; *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Non igitur instituerunt ipsi, sed promulgarunt, & ministrarunt Sacramenta à Christo instituta.

Secundò; Sacramenta legis veteris à Deo immediatè sunt instituta; à Moyse autem solùm promulgata; vt patet ex libris Exodi, & Leuitici, vbi semper, cùm aliquid noui instituitur, legimus: *Locutus est Dominus ad Moysen:* Multò igitur magis par erat, vt sacramenta nouæ legis præstantiora ab ipso Deo intuerentur. Idem etiam Patres affirmant.

Altera quæstio: *Quis propriè in Ecclesia sit minister Sacramentorum?* Pro qua fit prima propositio: *Minister Sacramentorum homo esse debet, non autem angelus, siue bonus, siue malus.*

Obseruandum tamen, quòd, si fortè Angelus bonus sacramentum aliquod ministraret, illud habendum esset ratum, quia certum est id factum esse diuina dispensatione extraordinaria. Quocirca refert Nicephorus S. Amphilochium ab Angelis ordinatum Episcopum; idque ratum habitum ab Episcopis eius prouinciæ. At, si diabolus idem faceret, iterandum esset sacramentum; quia diabolus non habet ex se potestatem, nec peculiari Dei dispensatione acciperet, sed sibi vsurparet, vt falleret.

Prob. propositio primò; Ad essentiam Sacramentorum, vt requiritur verum, & naturale elementum; ita verum, & naturale verbum. Sed solus homo verè, & naturaliter loquitur: loqui enim est actio corporis viuentis per instrumentum linguæ, & palati; Non igitur Angelus bonus, vel malus sacramenta conficere potest.

Secundò, Etiam si vera elementa, veraque verba Angeli adhibere possent, tamen non propterea illa verum sacramentum efficerent. Nam sacramentum est signum, & causa infallibilis gratiæ: non autem id habent elementa, & verba naturaliter, sed solùm à Deo assumuntur, vt instrumenta iustificationis. Ergò non sunt vera sacramenta, cùm à quocunque adhibentur, sed cùm adhibentur ab eo, cui Deus id committit; quomodo etiam verba, quibus

miracula faciebant Christus, & Apostoli, non à quocunque prolata fuissent, eandem vim habuissent. Sed Deus hanc auctoritatem solis hominibus dedit; non angelis bonis, vel malis. Nā hominibus dixit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Item solis hominibus dixit: *Hoc facite in meā commemorationem.* Et solis hominibus dixit: *Quorum remisistis peccata, &c.*

Matth. 23.

Lucæ. 22.

Ioan. 20.

Ephes. 4.

Ad hæc: Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Vbi per dona intelligit varia ministeria, quæ sunt in Ecclesia. Nam antea dixerat: *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, sicut scriptum est; Ascendens in altum, &c.* Et infra: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores, &c.* Denique: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur.*

Hebr. 5.

Propos. 2.

Secunda propositio: *Verus minister Sacramentorum (Baptismo, & Matrimonio exceptis) non est quilibet homo, etiam baptizatus, sed is solus, qui ritè in Ecclesia ordinatus est.* Baptismus excipitur, quia propter summam eius Sacramenti necessitatem semper Ecclesia intellexit posse à quolibet homine conferri.

Etiam Matrimonium excipitur, quia, cum consistat illud in contractu mutuo duorum, non poterat aliter fieri, quàm vt ipsi contrahentes essent ministri.

Prob. 1.

Ephes. 4.

1. Cor. 12.

Prob. propositio ex Script. quæ docet in Ecclesia esse diuersa officia, nec omnia omnibus conuenire. Et: *Alios posuit Apostolos, alios Prophetas, &c.* Et: *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? &c.* Idem ergò dici potest de pastoribus, & doctoribus, qui ibidem nominantur.

Prob. 2.

Hebr. 5.

Prob. secundò: *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Non igitur omnes, qui sunt de populo Dei, sunt hoc ipso Sacerdotes. Neque potest hic locus intelligi de exercitio tantum: nam Aaron, antequam vocaretur à Deo ad sacerdotium, non habebat neque vsum, neque potestatem.

Præterea; Assumere honorem non est exequi potestatem, sed accipere eam: quod etiam confirmatur ex sequentibus; *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret.*

Prob. 3.

Epist. 108. ad

Sceleucianū.

Ioan. 4.

Lucæ. 22.

Ioan. 20.

Prob. 4.

Tertiò; Apostoli baptizati sunt, & baptizabant ante Christi passionem. Primum docet Augustinus: alterum habetur apud Ioan. Nec est credibile ipsos à Christo iussos baptizare, antequam ipsi baptizarentur. At potestatem consecrandi Eucharistiam acceperunt postea, cum audierunt: *Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & absoluendi potestatem acceperunt postea: *Quorum remisistis, &c.* Non igitur acceperant in Baptismo.

Quartò; Si omnes Christiani acciperent in Baptismo hanc potestatem, ideo acciperent, quia tunc (vt ait Lutherus) vnguntur gratia Spiritus S. & proinde fiunt spirituales sacerdotes. At id falsum est: nam sequeretur eos, qui dum baptizantur, non recipiunt gratiam; & eos, qui postea eam perdunt, non verè conferre Sacramenta: quod tamen Lutherus negat contra Anabaptistas.

Quintò; In lege veteri, vbi erant Sacramenta imperfectiora, non omnes poterant ea ministrare, sed soli Sacerdotes. Nec valet solutio, si dicas Christianos esse factos in Baptismo spirituales sacerdotes: nam etiam illi fiebant

in Circumcisione spirituales sacerdotes, & poterant omnes offerre spirituales hostias. Immo quod dixit B. Petrus de omnibus Christianis: Vos autem genus electum, regale sacerdotium; idem antea dixerat Moyfes de omnibus Israëlitis: & tamen Ozias Rex lepra punitus fuit, quia fungi voluit munere sacerdotali.

Tertia quaestio est: *Vtrum requiratur necessariò fides, aut charitas ministri Sacramentorum, ita, vt haeretici, infideles, scismatici, improbi Catholici non possint Sacramenta conferre?* Quaest. 3.

Negatiua eius pars probatur primò traditione, & consuetudine antiquissima ab Apostolorum tempore. Deinde hac ratione. Resp. Prob. 1.

Minister Sacramentorum operatur virtute, & auctoritate diuina. Deus autem non aufert à ministro datam ei potestatem ob eius peccatum, aut infidelitatem. Ergò, &c. 2.

Maior prob. ex Scripturis: vt; *Hic est, qui baptizat in spiritu S.* Præcipuus ergò auctor in Baptismo Christus est, non minister; Et: *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed, qui incrementum dat, Deus.* Maior prob. 1.

Præterea, Si ministri sua virtute baptizarent, essent diuersa baptismata, alia alijs meliora pro diuersitate meritorum, & excellentiæ baptizantium. At vnum est baptisma. Ioan. 1. 1. Cor. 3. Prob. 2.

Item; Apostoli nunquam appellarunt baptismum suum, quem alijs conferrebant, cum tamen aliquando appellarent Euangelium suum, quod prædicabant; *Iuxta Euangelium meum.* Ergò nihil suum agnoscebant in Baptismo, nisi nudum ministerium. Ephes. 4. Prob. 3. Rom. 16.

Denique, Æquum fuit, vt Sacramenta non penderent ab humana virtute, ne homines in hominibus confidere assuescerent, cum scriptum est: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Prob. 4.

Minor propositio probatur: Nam auctoritas conferendi sacramenta, non est gratia gratum faciens, sed gratis data: non ergò pugnat ita cum improbitate vitæ, vt simul esse non possit. Constat enim eiusmodi gratias in peccatoribus esse posse, vt patet de Caypha, qui prophetauit, cum tamen esset pessimus. Item de eis, qui dicunt: *Nonne in nomine tuo demonia eiecimus?* Ioan. 11. Matth. 7.

Prob. 2. minor; auctoritas conferendi Sacramenta non datur in vtilitatem habentis, sed aliorum: igitur non erat conueniens, vt auferretur propter peccatum habentis. Prob. 2.

Tertiò; Deus non aufert ob peccata potestatem iurisdictionis: nam iubet Apostolus, vt Christiani obediant dominis suis *nontantum bonis & modestis, sed etiam discolis:* & ibidem iubet obedire Regibus, & alijs Magistratibus Gentilium, qui infideles erant: igitur multò minùs aufert potestatem ordinis. Nam si potestas auferretur ad puniendum eum, qui illam habet, magis deberet auferri potestas iurisdictionis, quàm ordinis: quia illa magis amatur, & proinde magis punitur, cui illa tollitur. 3. 1. Pet. 2.

Præterea, Magis dependet potestas iurisdictionis à probitate vitæ eius, in quo est, quàm potestas ordinis: nam magis dominantur passiones in imperando, quàm in Sacramentis ministrandis.

4. Quartò, Non aufert Deus ab hominibus naturales potentias ad opera naturalia: ergò nec auferre debet supernaturalem potestatem ad opera supernaturalia, in quibus non consistit meritum operantis: nam non minus Deus prouidit bono totius Ecclesiæ, quàm bono mundi huius.

5. Quintò, Iudas peccator erat, & reprobus, & tamen baptizabat, vt colligit Augustin. Et quòd efficaciter baptizauerit, docet idem August. ex eo, quod nõ legimus rebaptizatos, quos ille baptizauerat.

Prob. 3. resp.

Tertium argumentum sumitur à similibus rebus. Nam in primis apud Iudæos circumcisi à Samaritanis, qui hæretici erant Hebræis, non circumcidebantur iterum; sed admittebantur, vt ritè circumcisi. Vt Augustin. docet. Deinde, Verbum Dei efficaciter prædicatur ab improbis. Præterea, Nihil refert ad efficaciam sementis, & plantationis, an lotis manibus, an sordidis id fiat, modò bonum sit semen, & terra fertilis, nec desit calor solis, & pluuia de cælo. Item, Non minus rectè imprimit imaginem Regis sigillum ferreum, quàm sigillum aureum. Item, lumen solis non inquinatur, etiam si per lutum transeat, & loca cætofa. Denique, parum refert, vtrum aqua ad areolas irrigandas per canalem lapideum, an per argenteum transeat.

Quæst. 4.

Resp.

Intentio actualis.

Intentio habitualis.

Virtualis.

Prob. 1.

Quarta quæstio: *Sitne intentio ministri necessaria ad Sacramenti perfectionem?*
Resp. Non requiritur necessario actualis intentio, nec sufficit habitualis, sed virtualis requiritur, & sufficit. *Actualis* est, quando Minister actu habet talem intentionem: quæ non requirit, vt verbis exprimat, sed vt homo sit præsens animo, & attentè faciat, quòd facit. Hæc non requiritur necessario, quia non est in nostra potestate, quin distrahatur aliquando nostra cogitatio, etiam, dum res sanctissimas agimus. *Habitualis* dicitur inclinatio quædam, seu promptitudo ex habitu infuso, vel acquisito, qualis etiam in dormiente esse potest. Et hæc non sufficit, nam actus inde procedens non est humanus, & deliberatus, alioqui baptizatus diceretur, si quis à dormiente, vel ebrio baptizatus esset. *Virtualis* dicitur, cum actualis intentio in præsentem non adest ob aliquam euagationem mentis, tamen paulò antè adfuit, & in virtute illius fit operatio. Et hæc omnium consensu requiritur, & sufficit, si actualis non adsit.

Prob. 2.

Matth. 24.

Rom. 12.

Hebr. 13.

Ioan. 20.

Probatur primò, sicut certa forma verborum requiritur necessario, vt determinetur indifferentia materiæ, ita requiritur aliquid, quo determinetur indifferentia formæ. Nam illa verba, *Ego te baptizo*, & similia possunt habere varias significationes: baptizare enim est tingere aquis, quòd facit, qui lauat sordes corporis, qui refrigerat, qui lauandò medetur, &c. At nihil fingi potest, quo determinetur hæc indifferentia formæ, nisi intentio Ministri, qui illa verba profert, & cuius est tota actio: ergò, &c.

Prob. secundò, Ministri sacramentorum sunt instrumenta Dei, sed instrumenta animata, & ratione vtentia, vt patet ibi: *Quis est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Vbi fidelitas, & prudentia indicant talem esse hunc seruum, vt in eius arbitrio sit facere, & non facere. Præterea, Ideò vocantur præpositi. Vt: *Qui præest in sollicitudine*. Et: *Obedite præpositis*.

Denique, Non determinauit Christus particulares actiones, sed ait: *Cui remiseritis peccata, remittuntur eis*. Vbi manifestè relinquit in eorum arbitrio, vt soluant, & ligent. Quare cum eiusmodi instrumenta potissimum sunt instru-

menta

menta per voluntatem, & intentionem, si hæc tollatur, desinunt esse instrumenta.

Prob. tertio à discrimine inter verba speculatiua, & practica. Nam verba ^{Prob. 3.} speculatiua, quia totam efficaciam suam habent in significando, à quocunque dicantur, eandem vim habent. Idem enim significant verba, siue dicantur ab homine sobrio, siue ebrio, siue etiam psitaco, aut asina Balaam. At verba practica, quæ præter significationem habent efficientiam, non sunt efficacia, nisi dicantur ab eo, qui habet potestatem & voluntatem faciendi, quod verba significant. Nam, qui habet donum miraculorum, efficaciter imperat morbis, & demonibus; non autem alij, etiamsi eisdem verbis vtantur. Sed constat verba Sacramentorum esse verba practica, cum sint instrumenta iustificationis: ergo requirunt potestatem, & voluntatem, ac proinde intentionem.

Prob. quarto ab absurdis, quæ alioqui sequerentur. Nam primo, si parens ^{Prob. 4.} aliquis duceret filium suum ad balnea, &, dum puerum immergit more ^{1. Absurdum} Christiano, signaret eum cruce, & diceret: Lauo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. nimirum inuocans Deum, vt bene cedat illi lotio, & nihil de Baptismo cogitans, tunc ille puer deberet dici baptizatus.

Secundo, si sacerdos in mensa legeret Euangelium, & inter legendum ^{2.} pronunciaret illa verba: *Hoc est corpus meum*: Et: *Hic est sanguis meus*, iam totus panis, & totum vinum illius mensæ esset consecratum.

Tertio, si, cum aliquis ancillam conducit, diceret: Accipio te in meam, (intelligens, sed non exprimens, ancillam) & illa diceret: Accipio te in meum. ^{3.} (intelligens herum, sed non exprimens) iam illi essent coniugati. Quæ omnia sunt ridicula.

C A P V T V I.

De effectu Sacramentorum, scilicet Gratia, quæ in illis confertur:

Prima quæstio: *An Sacramenta nouæ legis sint vere causæ iustificationis ex opere ^{Quæst. 1.} operato?* Nota in iustificatione, quam recipit aliquis, dum percipit Sacramenta multa concurrere: nimirum ex parte Dei, voluntatem vtendi illa re sensibili: ex parte Christi, passionem eius: ex parte ministri, potestatem, voluntatem, probitatem: ex parte suscipientis voluntatem, fidem, & pœnitentiam: denique ex parte Sacramenti, ipsam actionem externam, quæ consurgit ex debita applicatione formæ, & materiæ. ^{Explicitio.}

Cæterum ex his omnibus id, quod actiue, proxime, & instrumentaliter efficit gratiam iustificationis, est sola actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur; & hæc vocatur opus operatum. Nam voluntas Dei, quæ Sacramento vtitur, concurrat quidem actiue; sed est causa principalis. Passio Christi concurrat, sed est causa meritoria; non autem effectiua, cum non sit actu, sed